Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 669
Quelle:
Copyright:

col. 253. Omnia hactenus *Augustini* relata, sincera et spuria, integra sunt, e probis Exemplaribus petita, et insuper a secunda manu passim limata.

XV. *fol.* 203. ab alia paullo vetustiore penna: *Liber XII. Signorum*, qui incipit: *Hic est liber similitudinum fortunarum et infortuniorum filiorum ade uite seu mortis eorum secundum XII. signa prout in firmamento et in hora cuiuscunque sub ascensione et descensione natiuitatis disponuntur secundum quod in libris Ptolomei manifeste reperitur.* Nugae astrologicae, quibus nondum omnium Gentium Calendaria purgata sunt. Ad calcem: *Liber Viti de Laa* (infer. Austr.) *sacerdotis.*

XVI. *fol.* 210. absque titulo Congeries Exemplorum, Apologorum, Fabellarum magnam partem anilis et putida, quarum singulis subjecta est *Reductio*, sive Adplicatio ad aliquod Religionis aut Morum placitum pro captu rudis Plebeculae. Narratiuncula I. incipit: *Dorotheus imperator statuit pro lege quod filij parentes suos sustentarent* &c. Ita invenias Imperatores *Gorgonios*, *Clongos*, *Denegarios* &c. Non raro ad *Valerium Max. Josephum*, *Plinium*, *Gesta Romanorum*, *Vitas PP.* &c. se refert Compilator, qui merito infra *Speculum Exemplorum* Sec. XV. non semel excusum est.

XVII. *fol.* 254. p. 2. sequuntur Collectanea homiletica de variis Materiis puta: Usura, Scientia Sacerdotis, Lusu, Decalogo, Confessione, Simonia, variis Peccatorum speciebus &c. Inter alia *fol.* 264. p. 2. *Decem precepta in teutunico*, quorum initium:

Merchet di heiligen X pot. di vns lert der ewig gott.
Alle di vor sunde wellen pebarn. vnd zu den ewigen gnaden varn.
Vromden got solt du nicht haben. Di dich von deinen scheppher tragen.
Vromde got ist zauber vnd all dinch. Di dir lieber wenne got sint &c.

XVIII. *fol.* 270. alia Collectanea inscripta: *Naturalia bona et vtilia.* Physica sunt e variis Autoribus lecta, v. g. *De Morientibus, raro Infirmis*, *Fulmine et altitudine Nubium*, *Diluvijs*, *Auibus*, *Dormientibus* &c. Sedulam apem fuisse, quae haec constipavit, argumento sunt *Aristoteles*, *Constantinus Afric.* *Hieronymus*, *Aegidius Col.* *Avicenna*, *Richardus a S. Vict.* *Alexander Alens.* *Ambrosius*, *Simplicius*, *Augustinus*, *Themistius*, *Cassianus*, *Plinius*, *Fulgentius Planc.* qui vel prima pagina se offerunt. Est vero etiam *Fontinus in descriptione Universi*, qui similiter in vasto illo Opere *Lumen Animae* dicto citatur, est *Cantobius de giro orbis*, quem nullibi, est *Philaretus in tractatu de Naturis morborum*, quem, siquidem is est, ab *Apollonio* et *Plutarcho* adpellari video. Corrupta fuerint nomina,